



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de Beatitudine, de Actibus humanis, eorumque Moralitate, de
Virtutibus ac Donis, de Vitiis ac Peccatis, & de Legibus, nec-non
Dissertationem Theologicam de Probabilitate

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniæ Agrippinæ, 1671

§. I. Statuitur prima conclusio, & autoritate D. Thomæ sulcitur

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78232)

ARTICVLVS III.

An & qua indifferentia ad rationem formalem & quidditativam libertatis pertineat?

Licet de fide certum sit, indifferentiam ad agendum, seu potestatem ad agendum vel non agendum, in statu naturæ lapsæ in homine reperiri, eamque ad merendum vel demerendum in nobis viatoribus esse necessariam: quia tamen aliquid potest requiri ad statum alicujus rei, quod ad ejus essentiam & quidditativam non pertinet, merito quaerunt Theologi, an indifferentia rationem formalem & quidditativam libertatis ingrediatur, vel solum ad statum accidentalem quem habet in nobis viatoribus pertinet? Et quia indifferentia est duplex, una contradictionis, quæ dicit potentiam ad agendum vel non agendum; altera contrarietatis ad bonum & malum, quæ potentiam peccandi importat; difficultas est, an utraq; hæc indifferentia sit de essentia libertatis, vel solum prima?

S. I.

Statuitur prima conclusio, & autoritate D. Thomæ fulcitur.

Dico primò, indifferentiam contradictionis, seu potestatem ad agendum vel non agendum, esse de essentia libertatis, non verò aliquod accidens ei adjunctum, & ad statum quem habet in nobis viatoribus pertinens.

Est contra Guillelmum Gibium, qui libro de libertate Dei & creaturæ cap. 3. & sequentibus, docet libertatem sitam esse in amplitudine & eminentia naturæ intellectualis supra corporeas, præcédendo ab indifferentia: citatque pro hac sententia plures antiquos & recentiores Theologos. Consentiat Cæsar Vanin. in suis exercitiis, & Franciscus Macedo Franciscanus quondam de mente summi Pontificis Innocentii circa propositiones Jansenii art. 4. Est etiam contra Jansenium, qui libro 6. de gratia Christi, fertur per totum, conatur ostendere libertatem simpliciter dictam non importare essentialiter, nisi solum immunitatem à coactione, cum luce ad directionem rationis: sicque asserit voluntatem esse liberam simpliciter in omnibus actibus, in quibus ex directione rationis operatur; quamvis aliqui sint necessarii simpliciter, ut amor beatificus, vel amor quò Deus seipsum diligit, aut quò Spiritus Sanctus producit: unde facile gratiam efficacem cum libertate conciliat, quia gratia non cogit voluntatem, sed facit ut plenissime velit. Hunc sequutus est Vincentius Lenis in Theriaca de libero arbitrio libro 2. cap. 6. ubi contendit quod potestas volendi oppositum, minimè ingrediatur rationem essentialem libertatis. Ex quo deducit, omnem actum perfectè voluntarium, licet talis potestas indifferentiæ non adsit, esse etiam perfectè liberum.

Nostra tamen conclusio communis est apud Theologos, præsertim è Schola Divi Thomæ, quos refert & citat P. Alexander Seville Antuerpiensis in libro de libero arbitrio adversus Cornelium Jansenium, & Vincentium Lenem. Unde inaniter iste se jactat, omnes veros Thomistas

A pro sua stare sententia; cum potius nullus possit dici verè Thomista, seu D. Thomæ discipulus, qui neget indifferentiam ad libertatis essentiam pertinere; cum id expressè doceat S. Doctor, quotiescumque ex professo de libertate Dei & creaturarum disserit, ut patebit ex dicendis probatione sequenti.

188
Probatur ergo primò conclusio ex D. Thomæ, percurrendo præcipua loca in quibus de libero arbitrio Dei, Angelorum, & hominum disputat, & ostendendo ipsum libertatem divinam, angelicam, & humanam, per indifferentiam ad agendum vel non agendum, non verò per solum spontaneitatem seu immunitatem à coactione explicare; subindeque censere, indifferentiam ad notionem & essentiam seu rationem formalem libertatis, non verò solum ad statum ejus accidentalem pertinere.

189
Primus locus habetur i. p. qu. 19. art. 10. in corp. ubi affirmat liberum arbitrium haberi tantum respectu eorum quæ non necessariò volumus, vel naturali instinctu; ibidemque addit Deum non liberè amare seipsum, quia se amat necessariò, sed esse liberum ad ea quæ contingenter seu non necessariò vult extra se. Unde ut explicet quomodo Deus sit liber, licet non possit velle malum culpæ, respondet ad 2. hoc non obesse, quia voluntas divina ad opposita se habet, in quantum velle potest hoc esse vel non esse. Quibus verbis apertè recurrit ad indifferentiam voluntatis divinæ, non verò ad spontaneitatem, ut ejus libertatem salvet. Unde qu. 16. de malo art. 5. in corp. *Voluntas Dei (inquit) non fit feritur ad unum in suis effectibus, quin quantum est de se possit in aliud: & secundum hoc competit ei libertas arbitrii.* Et in 2. dist. 25. qu. 1. art. 1. ad 2. *Ad libertatem arbitrii pertinet, ut actionem aliquam facere possit vel non facere: & hoc Deo convenit, bona enim qua facit, potest non facere.* Ecce probat indifferentiam, & salvet libertatem arbitrii divini.

190
Alter locus insignis sumitur ex qu. 24. de veritate rit. art. 3. ubi quaerit utrum liberum arbitrium sit in Deo? & respondet in corp. articuli: *Oportet dicere in Deo liberum arbitrium inveniri; similiter & in Angelis, non enim ipsi ex necessitate volunt.* Unde quartum argumentum quod erat hujusmodi: *Liberum arbitrium est potentia ad oppositos actus se habens; sed Deus non se habet ad opposita, cum sit immutabilis, nec in malum flecti possit: ergo liberum arbitrium non est in Deo:* sic solvit: *Dicendum quod voluntas divina se habet ad opposita; non quidem ut aliquid velit & postea nolit, quod ejus immutabilitati repugnaret; nec ut possit velle bonum & malum, quia defectibilitatem in Deo poneret; sed quia potest hoc velle & non velle.* Si autem Divus Thomas existimaret libertatem voluntatis divinæ in sola ejus spontaneitate essentialiter consistere, non assereret Deum esse liberum arbitrii, quia potest hoc velle & non velle; & quia quicquid vult, ex necessitate non vult; & quia voluntas ejus se habet ad opposita: sed hoc unum ad suam opinionem stabilendam argumentum adhiberet: Quicquid Deus vult, spontè vult & non coactè: Ergo est liberum arbitrii.

191
Simile argumentum desumi potest ex libertate angelica, quam D. Thomas explicat per indifferentiam, seu potestatem ad agendum vel non agendum: nam 2. contra gentes cap. 48. sic de substantiis intellectualibus scribit: *Libertatem necesse est eas habere, si habent dominium sui actus,*

actus, ut ostensum est: ostenderit autem cap. præcedenti ratione 2. dominium eas habere ratione voluntatis, utpot in ipsa existens agere & non agere.

Idem docet variis in locis de libertate humana: nam t. p. qu. 83. art. 1. probat hominem esse liberi arbitrii, quia iudicium rationis ad diversa se habet, & non est determinatum ad unum: quæ ratio nulla esset, si libertas nostræ voluntatis in sola spontaneitate seu immunitate à coactione consisteret. Unde ibidem art. 3. ait: *Liberi arbitrii esse dicimur, quia possumus unum recipere, alio recusato.* Et qu. 24. de verit. art. 1. in quinto argumento sed contra: *In hominis (inquit) potestate est facere & non facere, & ita est liberi arbitrii.* Ergo juxta D. Thomam, libertas non solum secundum statum accidentalem, quem habet in nobis viatoribus, sed etiam secundum propriam rationem formalem, communem Deo, Angelis, & hominibus, indifferentiam seu potestatem ad agendum vel non agendum includit; nec in sola spontaneitate, seu ratione perfectè voluntarij, adæquatè consistit.

S. II.

Summorum Pontificum definitionibus eadem veritas firmatur.

192 **E**ADEM veritas ex SS. Patribus, ac Summis Pontificibus colligitur. Plura loca SS. Patrum art. 1. adduximus, in quibus propriam libertatis quidditatem explicant per indifferentiam ad contradictoria; ideoque liberum arbitrium comparant statere in æquilibrio positæ, vel cardini in utramque partem versatili. Unde solum hic addam Summorum Pontificum Pii V. Gregorii XIII. & Urbani VIII. constitutiones, in quibus hæc duæ Michaëlis Baii propositiones proscribuntur: *Quod voluntariè sit, etsi necessitate fiat, liberè tamen sit. Item: Solæ violentiæ repugnat libertati hominis naturali.*

193 Nec valet responsio Janfenii, dicentis Summos illos Pontifices non damnare absolute illas propositiones, sed solum per respectum ad id quod hoc tempore contra antiquos Patres & Doctores nomine libertatis significatur, quod non est aliud, quam illud quod habet saltem indifferentiam contradictionis. Non valet, inquam, tum quia jam ostendimus Patres & Doctores antiquos, præsertim D. Augustinum, & S. Thomam, in libertate simpliciter & sine addito sumpta admisisse semper aliquam indifferentiam. Tum etiam, quia non alia de causa Summi illi Pontifices propositiones illas Baii damnarunt, nisi quia existimaverunt eas continere errorem Calvinij, qui non negavit libertatè à coactione, sed tantum à necessitate, ut infra ostendemus.

194 Non valet etiam quod addit Janfenius, nempe suam opinionem diversam esse ab illis propositionibus Baii, utpote asserentibus omnem actum voluntarium, ac proinde & actus primò-primos, habere libertatem; cum tamen ipse ad libertatem necessarium putet quod voluntas se moveat & applicet specialiter, & cum luce ac directione rationis operetur; quod non habet in actibus primò-primis. Nam et si differat Janfenii doctrina à secunda propositione Baii, convenit tamen adhuc cum prima, in qua ponit libertatem in omni voluntario perfectò, etsi necessarium sit, quod reprobant prædicti Summi Pontifices.

Conclusio variis rationibus demonstratur.

POTEST etiam conclusio variis rationibus demonstrari. Prima sumitur ex notione electionis, quam constat esse partem libertatis, & quidem præcipuum; unde plures libertatem vim electivam definiunt. Quæ ergo erit notio electionis, eadem erit & libertatis: At constat nomine electionis designari tantum volitionem ita terminatam ad unum, ut a què possit ad alterum terminari; sub Aristotele 3. Ethic. cap. 2. docet ea tantum sub electionem cadere, quæ fieri possunt & non fieri. Et D. Thomas infra quæst. 13. art. 2. *Cum electio, inquit, sit præceptio unius respectu alterius, necesse est quod electio sit respectu plurium quæ eligi possunt; & ideo in his que sunt determinata ad unum, electio locum non habet.* Ergo etiam nomine libertatis actualis intelligitur determinatio voluntatis ad unum actum, cum potest ad oppositum, subindeque indifferentia activa, & non sola spontaneitas & immunitas à coactione.

Secunda ratio, eaque præcipua & fundamentalis. Liberi arbitrii ratio consistit in eo quod actus nostros sub nostra potestate & dominio habeamus; unde Græci principium liberum *αὐτοζωον* appellant, quæ vox significat sui potentem, & dominum actionis suæ; & facta pagina per dominium & potestatem hominis libertatem explicat; ut patet ex illo Genesis 4. *Subter te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius;* & ex illo 1. ad Corinth. 7. *Non habens necessitatem, potestatem autem habens sua voluntatis.* Sed actus purè spontanei, & à sola coactione immunes, non sunt sub dominio & potestate nostre voluntatis: Ergo non sunt verè liberi, subindeque libertas in sola spontaneitate non salvatur, sed insuper essentialiter requirit indifferentiam & potestatem ad opposita. Major & consequentia patent. Minor autem, in qua est difficultas, multipliciter ostenditur.

Primò ex D. Thoma 1. contra Gentes cap. 68. ubi ait: *Dominium quod habet voluntas supra sui actus, per quod in eius potestate est velle vel non velle, excludit determinationem virtutis ad unum, & violentiam causæ exterioris agentis.* Sed actus purè spontanei non excludunt determinationem virtutis ad unum, sed tantum violentiam causæ exterioris agentis, ut patet in amore beatifico, & volitione boni in communi: Ergo non possunt dici esse sub dominio & potestate voluntatis.

Secundò ex Aristotele 3. Ethic. cap. 5. ubi dicit: *Quibus in rebus nostra in potestate situm est agere, in eis & non agere, & in quibus non agere, in eis & agere.* Quæ verba exponens S. Thomas ibidem lect. 11. *Si operari, inquit, est in nostra potestate, oportet etiam quod non operari sit in nostra potestate: si enim non operari non esset in nostra potestate, sic impossibile esset non operari: ergo necesse esset nos operari, & operari non esset ex nobis, sed ex necessitate.* Ergo ex Aristotele & D. Thoma, illi solum actus qui sub potestate & dominio voluntatis, quibus ita agit ut possit non agere; non vero illi qui ita ab ea eliciuntur, ut eos non possit non elicere; quales sunt amor beatificus, volitio boni in communi, & alij actus purè spontanei, & à coactione, non verò à necessitate immunes.

Probatur tertio: Quidquid est in potestate nostra,